1. *Interrogatus, quomodò vocetur?* Resp. *Vocor Fr. Justus.*

2. *Interrog. cujus ætatis, conditionis & officii?* Resp. *annum 45. jam complevi, ex obedientia ago officium sartoris.*

3. *Interrog. &c.* ut suprà de Generalibus interrogatoriis.

Ad Specialia super Articulo secundo.

1. *Interrogatus, an sciat Articulum esse verum?* Resp. *Ita, scio Articulum esse verum.*

2 *Interrog. In causa scientiæ?* Resp. *vidi apud Fr. Mævium propriis oculis talem clavem.*

3. *Interrog. Quando, & ubi viderit illum?* Resp. *Fr. Homobonus aliquando perdiderat clavem suam ad cellam, quod audiens Fr. Mævius dixit ad illum, se velle statim aperire, uti & fecit per clavem regiam è sacco extractam.*

4. *Interrog. Quando id contigerit?* Resp. *Dici determinatè non amplius recordor, bene tamen scio, id hoc mense contigisse.*

5. *Interrog. de Contestibus?* Resp. *Intellectum.*

6. *Interrog. quare non indicaverit Superiori?* Resp. *Non libenter incepi turbationem in Conventu, quæ secuta fuisset, ex correctione & confusione Fr. Mævii, utpote hominis perditi, & vix non desperati.*

Et quia idem Testis super aliis quoque Articulis Octavo nempe, nono, & decimo fuerat denominatus, super iisdem etiam statim examinavit illum A. R. P. Provincialis. Et quidem.

Super Octavo Articulo.

1. *Interrogatus, An sciat Articulum esse verum?* Resp. *scio certò Articulum esse verum.*

2. *Interrog. In causa scientiæ?* Resp. *vidi monilia & calices in ipsius Cella.*

3. *Interrog. quomodò, & quâ occasione eas videre potuerit?* Resp. *Aliquando afferens Fr. Mævio habitum, subitò, & nihil mali cogitans intravi cellam, ubi vidi quòd præfatos calices & monilia imponere vellet magnæ cuidam scatulæ: Ego terrefactus interrogavi ipsum, amore Dei, unde habet ipse hæc? ipse verò magis territus & confusus statim ad genua provolutus rogavit me per omnia, ne ipsum patefacerem, fateri se, quòd à diabolo deceptus ea sit furatus, hodie verò ad noctem aliis dormientibus iterum certò restituere vellet. Ego correctione fraternâ quantùm potui, ei datâ discessi, expectans, an promissum esset servaturus. Et, cùm viderem, illum promisso non stetisse, accessi illum alterâ die, & monui eum seriò, ut illico redderet furtivè ablata, ni vellet, ut statim adirem Superiorem. Ad quod ille; scito Fr. Juste, quòd ego ista jam miserim alio, & omnia non tantùm negaturus, sed etiam contra te tanquàm Calumniatorem aturus sim, si me apud Superiorem manifestas, quia nihil potes probare.*

4. *Interrog. quando id contigerit?* Resp. *primùm ante 14. dies.*

5. *Interrog. An inducârit Superiori locali?* Resp. *Non statim sed tunc primùm, quando inaudivi quòd & alii dicta monilia & calices viderint apud puellam Bibianam, cum qua est suspectus Fr. Mævius, & quod essent intercepta litteræ idem omnentes.*

6. *Interrog. Quid fecerit dein Superior?* Resp. *Custodiæ causâ inclusit illum in carcerem.*

7. *Interrog. de Contestibus?* Resp. *fui solus.*

Super Articulo nono.

1. *Interrog. An sciat Articulum esse verum?* Resp. *Utique scio, esse verum.*

2 *Interrog. In causa scientiæ?* Resp. *Superior deputaverat me, ut subinde viderem an non Fr. Mævius tentaret effringere carceres; hinc quia aliquando noctu diu audieram strepitum, surrexi, & accessi locum carceris, quem januis confractis vidi apertum, & Fr. Mævium actu currentem contra me. Ego apprehendi ipsum & clamavi pro auxilio, ille autem fortior prostravit me in terram, & quia dimittere illum nolui, scilicet ibidem jacentem aliquoties gravissimè me percussit in capite, & semimortuum relinquens cucurrit ad portam, quam aperuit, utique clave suâ regiâ.*

3. *Interrog. Quando hoc contigerit?* Resp. *Ante 13. dies.*

4. *Interrog. de Contestib.?* Resp. *Eram solus, quando res contigit, venerunt quidem postea alii, sed nimis serò.*

Super Articulo decimo.

1. *Interrogatus, An sciat Articulum esse vru?* Resp. *Proh dolor! non tantùm scio, sed etiam sentio esse verum.*

2. *Interrog. In causa scientiæ?* Resp. *Intellectum suprà.*

3. *Interrog. de Contestibus?* Resp. *Intellectum suprà.*

4. *Interrogatus, An nil aliud habeat, quòd diceret?* Resp. *Nihil aliud habeo, quàm quòd amore Dei rogem pro ipso, ne propter me puniatur: ego enim ex corde eidem ignosco, paratus etiam pro ipso sustinere pœnam, quæ eidem dictabitur.*

Quibus habitis, ac si, & in quantum acceptatis, ad mandatum A. R. P. Provincialis prælegi Testi suam depositionem, cui cùm nil addere, nec demere vellet, jussus est manu propriâ formare hic in Actis signum Crucis, utpote litterarum ignarus, & imposito formali obedientia præcepto servandi secretum de depositis in examine: demissus est. Acta sunt hæc die. Mense. Anno. loco.

Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Testem in ordine denominationis tertium & quartum, quia sæculares erant, Servitialis scilicet noster N. & Faber Serarius N. A. R. P. Provincialis examinare distulit, ut si forsan eis non indigeret, illos omnino omittere posset: hinc assumpsit testem in ordine denominationis quidem quintum, in ordine examinis verò tertium.

Notandum hic, debere Judicem Regularem ad 385
vitanda scandala, & parcendum famæ Religionis pro possibili, superfedere à testibus sæcularibus, ita, ut quamdiu spes supereſt, posse absque illis sufficientia haberi ad Reum constituendum, & veritatem eruendam ab eis abstinere debeat: quamvis enim sæculares potiùs ædificari, quàm scandalizari deberent videntes, quòd delicta esti rarissima in religione commissa, tam exactè inquirantur, & tam severè puniantur; nihilominùs quia ab uno statim ad alios argumentari solent, pro possibili abscondere expedit causas hujusmodi à sæcularibus.

Testis tertius Fr. Benedictus.

Ad Generalia.

1mò. *Interrogatus, quomodò vocetur?* Resp. *Vo-* 386
cor Fr. Benedictus.

2dò. *Interrog. Cujus ætatis, conditionis, & officii existat?* Resp. *50. annum jam complevi, sum simplex Confessarius in hoc Conventu, aliud officium non habent.*

3. *Interrog. &c. Fiunt reliqua Generalia ut suprà num.* 372.

Ad Specialia super Articulo quarto.

1. *Interrogatus, An sciat, Articulum esse verum quoad omnes circumstantias?* Resp. *ita, exceptâ illâ circumstantiâ, quâ dicit Articulus Fr. Mævium hinc inde circumspexisse, an nemo eum observaret, quia ad hoc non attendi.*

2. *Interrog. In causa scientiæ?* Resp. *quia dum illo tempore eram superius in Oratorio visitans Venerabile, & peragens meam exiguam devotionem, vidi illum, ut habet Articulus.*

3. *Interrog. de Contestibus?* Resp. *postquàm Fr. Mævius aliquali*

aliquali tempore erat propè Altare B. V. M. venit Sacristanus Fr. Homobonus, & allocutus est eum: quid autem dixerit, non bene percepti.

Super Articulo Septimo.

1. *Interrogatus, An sciat articulum esse verum?* Resp. *quamvis non physicè tamen moraliter scio esse verum.*

2. *Interrog. in causa scientiæ?* Resp. *inde scio; quia, dum nuper cum Fr. Homobono iveram ad puellam Bibianam, vidi duos calices linteo involutos, ac penes illos monilia secundùm partem.*

3. *Interrog. Ubi erant illi calices?* Resp. *erant in cista semi aperta.*

4. *Interrog Quomodò scire potuit, esse calices, cùm fuerint involuti?* Resp. *ex figura facilè cognovi.*

5. *Interrog. Quomodò scire potest, esse nostros calices?* Resp. *ideo præcipuè; quia dum postea ex mandato Superioris eam iterum accessimus ad disponendum, ut nobis mysterium patefaceret, & injustè accepta restitueret, ipsa negavit, quòd aliquando calicem habuerit & monilia, prout etiam à cista removit: Profectò si non nostri, sed alii calices fuissent, caujam ita negandi non habuisset.*

6. *Interrog. de Contestibus?* Resp. *intellectum.*

7. *Interrog. An nil aliud haberet dicere?* Resp. *non. Quibus habitis, si & in quantum acceptatis &c.* fit clausula ut supra *num.* 381.

Ego Fr. Benedictus affirmo ut supra.
Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Arrepto jam ad subscribendum calamo dixit: audivi, quòd etiam suspectas litteras scripserit puellæ Bibianæ, sed quia apud Acta jam erant, ulterius desuper non interrogavit, sed subscribere Testem fecit A. R. P. Provincialis.

Ego Fr. Benedictus N. testis deposui ut suprà.
Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Testis quartus Fr. Benignus.

Ad Generalia.

387 1. *Interrog. Quomodò vocetur? &c. ponuntur Generalia uti supra num.* 372.

Ad Specialia.

Super Articulo decimo.

1. *Interrogatus, An sciat Articulum esse verum?* Resp. *Certò quidem non scio (quia non interfui) tamen non dubito esse verum.*

2. *Interrog. in causa scientiæ, vel opinionis?* Resp. *Audivi in mea cella priùs strepitum, dein Fr. Justum, altâ voce clamantem, accurrite, juvate. Fr. Mævius vult auffingere; quo audito statim cucurri & F. Justum graviter vulneratum penes carceres jacentem inveni, qui mihi narravit eum à Fr. Mævio, quem aufugientem apprehendit, & dimittere noluit, ita esse vulneratum, cui utique in istis circumstantiis credendum est.*

3. *Interrog. de Contestibus?* Resp. *post me plures accurrebant, quibus eadem narravit Fr. Justus.*

4. *Interrog. An nil aliud haberet dicere?* Resp. *non: sed laudo Divina Judicia, quòd iste infelix homo ad propriam suam salutem tandem in manus Judicis venerit, qui ob tepidam suam vitam & alia mala signa aliàs planè in periculo perditionis æternæ fuisset, præsertim, quia correctiones & monita Superiorum haud ampliùs curabat.*

Quibus habitis si & in quantum acceptatis & fit clausula & subscriptio ut suprà *n.* 381.

Ego Fr. Benignus ita deposui.
Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Testis quintus Fr. Fidelis.

Ad Generalia.

1. *Interrog. Quomodò vocetur, &c. ut suprà* 388
num. 372.

Ad Specialia.

Super Articulo Undecimo.

1. *Interrogatus, An sciat Articulum esse verum?* 389
Resp. *Utique scio.*

2. *Interrog. in causa scientiæ; Resp. Dum actu inciperet Tepus narrare causam scientiæ, venit Janitor, & dixit adesse Excellentissimum Dominum N. & velle in ardua causa loqui A. R. P. Provinciali, qui proinde decrevit examen Testis interim terminare, animo tamen illud oportuno tempore iterum resumendi, Testis verò prælecto sibi examine, acceptisque si & in quantum ejus depositionibus subscribere, & silentium de depositis servare jussus est. Acta sunt hæc Die. Mense. Anno. loco.*

Ego Fr. Fidelis ita deposui.
Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Eodem die & loco A. R. P. Provincialis volens 390
continuare examen Fr. Fidelis, priùs ex præfata causa interruptum, vocare illum coram se fecit, qui præstito iterum juramento de dicenda veritate deposuit, ut sequitur.

3. *Interrogatus igitur de novo in causa scientiæ?* Resp. *Postquàm Superior localis à viro fide digno certificatus, & plenè informatus, quòd Fr. Mævius in domo Bibianæ, & quidem in certo loco lateret, animo, data occasione, nescio quorsum fugiendi, misit me & Fr. Angelum ad præfatam domum datâ priùs instructione, quomodò nos habere debeamus ut Fr. Mævium capere, & ad Monasterium reducere, possimus: Obedientiæ & instructioni conformiter accessimus domum memoratam, & habito priùs discursu indifferenti manifestavimus Bibianæ nostram commissionem; illâ indignata negavit, & pernegavit omnia, jurans, quòd jam per 14. dies non viderit Fr. Mævium. Nos econtrà petivimus, ut aperiret nobis cameram, ubi Fr. Mævius esse dicebatur: renuit illa: nos minitabamur Potestatem sæcularem: ipsa verò magis indignata, & plenâ furiâ jussit nos è domo sua discedere. Nos minimè attendentes ejus furiam, adhuc instabamus, ut illico nobis aperiret, aliàs essemus vim illaturi, timebamus enim ne Mævius cuncta audiens è fenestra prosiliret: Et cùm verbis nil efficeremus, Fr. Angelus januam vi effregit; quâ effractâ Fr. Mævium sub lectica absconditum invenimus, quem optimis verbis rogavi & monui, ut ad vitanda scandala ultro nobiscum ad Monasterium se conferret, aliàs vim certè experturus. In discursu fatebatur, quòd per 8. dies hic jam hæreret absconditus, exspectans occasionem Romam ad Generalem se conferendi.*

4. *Interrog. de Contestibus?* Resp. *intellectum, Fr. Angelus erat præsens, & Bibiana.*

5. *Interrog. An nil aliud haberet dicere?* Resp. *non. Quibus habitis &c.* Clausula ut suprà *n.* 381.

Ego Fr. Fidelis confirmo ut suprà.
Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Testis Sextus Fr. Angelus.

Ad Generalia.

1. *Interrogatus, Quomodò vocetur, &c.* ut supra. *num.* 372.

Ad Specialia super Articulo undecimo.

1. *Interrogatus, An sciat Articulum esse verum?* Resp. *Omninò.*

2. *Interrog. in causa scientiæ?* Resp. *Audivi ex ore*

ipsius, quando Fr. Fidelis, & ego ipsum è domo Bibianæ ad Monasterium reduximus.

3. *Interrog. de Contestibus? Resp. intellectum.*

4. *Interrog. An quid aliud haberet dicere? Resp. Non: nam qualiter peractæ sint, dum Fr. Mævium deprehendimus, jam notum suppono.*

Quibus habitis &c. fit clausula, ut suprà *n.* 381.

Ego Fr. Angelus ita deposui.
Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

De Recognitione, & Comparatione Litterarum, seu Scripturæ.

SUMMARIUM.

391 *Decretum, & modi recognoscendi Litteras seu Scripturas.*

392 *Modus examinandi Testes super Recognitione, Litterarum.*

393 *Debet subinde etiam fieri Comparatio Litterarum. & quomodò? ac n. seq.*

394 *Præstat ad eam assumere peritos in arte ex Ordine.*

395 *Praxis deputandi pro Comparatione perito in arte.*

396 *Judicium peritorum de Litteris, & oblatio illius.*

397 *Non semper requiritur, ut recognitio, & Comparatio Litterarum simul fiant, sed plerumque sufficit una.*

391 AUditis præfatis Testibus *A.* R. P. *Minister Provincialis volens pergere ad Recognitionem & Comparationem Litterarum Fr. Mævii interceptarum juxta Articulum 6. tum misit ad cellam dicti Fr. Mævii, & curavit sibi afferri illa alias Scripturas manu illius certò exaratas, si quæ ibidem invenirentur. Et inventi atque allati sunt ad A. R. P. Provincialem aliquot quaterniones, qui manu Fr. Mævii dicebantur scripti, quibus habitis curavit sibi afferri varias diversarum manuum epistolas & scripturas, ad videndum, an Testes ex illis scripturam Mævii eisdem commixtam noscerent. Ad quem finem decrevit vocare, & examinare Testes manum & characterem Fr. Mævii bene agnoscentes. Acta sunt hæc die. Mense. Anno. loco.*

392 *Vocatus igitur comparuit F. Gervasius N. & deposito juramento de dicenda veritate deposuit, ut sequitur.*

Ad Generalia.

1. *Interrogatus, quomodo vocetur? Resp. Vocor Fr. Gervasius N.*

2. *Interrog. &c.* Fiunt interrogatoria Generalia ut suprà *num.* 372.

Ad Specialia.

1. *Interrogatus, An cognoscat Fr. Mævium. Resp. optimè cognosco.*

2. *Interrog. An habeant, vel habuerint familiaritatem & correspondentiam ad invicem? Resp. Ante hac bene, sed per duos annos non ampliùs.*

3. *Interrog. An scripserint etiam ad invicem, & quoties? Resp. Ita, valdè sæpè ad invicem scripsimus.*

4. *Interrog. An bene cognoscat characterem & manum Fr. Mævii? Resp. Perfectè cognosco.*

5. *Interrog. An habeat adhuc aliquas Epistolas ab eo? Resp. Jam omnes combussi.*

Si respondet affirmativè jubetur illas afferre, & quod fit, inseritur Actis v. g.

Jussus dein attulit duas Epistolas à Fr. Mævio acceptas, quarum prima data Monachii die. incipit, ponatur initium epistolæ: *altera Landishuti die. incipit &c.*

6. Interrog. An inter aliàs plures scripturas cognosceret manum, & characterem Mævii? Resp. inter mille cognoscerem.

Tunc A. R. P. Provincialis varias scripturas unà cum scriptura Fr. Mævii posuit ante Testem, ita tamen, ut nullibi alicujus subscriptio pateret: & dixit ei, ut seligeret modo scripturam Fr. Mævii; qui non multùm deliberans extraxit unum folium dicens: Hæc est scriptura Mævii, prout etiam erat.

Quibus habitis, si & in quantum acceptatis &c. fit clausula, & subscriptio ut suprà *n.* 381.

Ego Fr. Gervasius affirmo ut suprà.
Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Simili modo examinatur alius manum scribentis Rei cognoscens (si habere potest) ut adsint duo Testes de Recognitione Litterarum.

Si causa & circumstantiæ requirunt, potest & debet etiam fieri Comparatio Litterarum: quæ tali modo fit. Una vel plures scripturæ, de quibus certò constat, esse scripturas manus rei exarantis, afferuntur, & comparantur cum scriptura illa, de qua est quæstio, ad videndum, an characteres sint similes vel non, & consequenter, an ab eadem vel diversâ manu proveniant. 393

Et quamvis de Jure ad hanc comparationem debeant adhiberi periti in arte, id est Magistri, qui alios scribere & litteras formare docent, ut bene advertit Ludovicus de Ameno, tamen apud Regulares, qui ad Juris apices non tenentur, sufficere videtur, si assumantur ex Ordine aliqui in arte scribendi perfectiores, præsertim tales, qui in sæculo apud Tribunalia fuère, aut Præceptores qui Juvenes docuerunt scribere; qui etiam in arte censentur periti: tales ergo vocantur, & quod fit, inseritur Actis, sequenti modo. 394

Posteà pro majori veritatis certitudine vocati comparuère Fr. Guido N. & Fr. Magnus N. quorum prior per tres annos agebat Scribam apud Judicem NN. alter verò ut Præceptor plures Juvenes scribere docuit, ambo in arte scribendi satis perfecti, qui deposito juramento de fideliter exequendo officio in comparatione Litterarum exercendo, & veritate dicendâ, jussi sunt A. R. P. Provinciali, ut Scripturas, quas de manu Mævii esse, certò jam constabat, eum interceptis litteris accuratè, diligenter, & exactè considerent, atque examinent, suumque posteà judicium manifestent, num ab una eademque, vel diversâ manu sint exaratæ. Acta sunt &c. ut suprà. 395

Acceptâ commissione ad faciendam comparationem Litterarum, Deputati singula juxta artem scribendi exactè considerant, atque examinant, suumque judicium in scriptis præsentant, quod Actis inseritur sequenti modo. 396

Consequenter præfati duo Fratres in arte scribendi periti, scripturas sibi consignatas, & sequens desuper judicium suum in scriptis præsentârunt: incipit &c. & definit &c. ponatur tenor judicii ab eis dati. *Quod cùm ad mandatum eisdem demùm prælegerem, confirmârunt. Acta sunt hæc die. Mense. Anno. loco.*

Ego Fr. Guido affirmo ut suprà.
Ego Fr. Magnus confirmo ut suprà.

Notandum hîc, non semper esse necessarium, ut *recognitio Litterarum per Testes, & comparatio per peritos simul fiat,* sed tantùm si rationabilis sit suspicio, ne Litteræ sint imitatæ; secus enim quævis harum sufficit semiplenè, aut etiam plus quàm semiplenè ad probandum contra scribentem per dicta *Lib. II. tit. XXII. §. V.* 397

De

De Carceratione Rei custodiæ causâ.

SUMMARIUM.

398 *Reus quandocunque est suspectus de fuga, aut ne impediat, subornet &c. Testes, custodiæ causâ incarcerari potest, etiam ante initium Processûs.*

399 *In Ordine nostro requiritur ad hoc consilium peritorum in Conventu, si haberi possunt.*

400 *Antequam incarceretur, Reo fit Decretum, & exprimitur causa.*

401 *Forma hujus Decreti.*

402 *Si Reus à Decreto carcerationis custodiæ causâ factæ appellat, executio non impeditur.*

398 JAm alibi diximus, quòd quandocumque Reus est suspectus de fuga, aut ne terreat, impediat, vel subornet Testes, possit, imò debeat custodiæ causâ carcerari etiam ante Constitutionem ipsius, imò, ante initium Processûs ex habita sufficienti informatione extrajudiciali; si crimen est atrox. Potissimum autem id facere potest, & debet Judex, quando ex Processu informativo jam adsunt sufficientia ad constituendum, & examinandum Reum de gravi delicto, si, ut dictum, Reus est suspectus de fuga, subornandis testibus, prout etiam statuitur in Practica nostra Criminali *Tit. Reus. §. II.* & ibi Ludovicus de Ameno.

399 Juxta citatum locum in Ordine nostro Judex etiam existentibus præfatis causis, custodiæ causâ nullum carcerare potest, nisi cum consilio peritorum in Ordine, id est in Conventu illo, ubi Judex tunc temporis existit. Nec est necesse, ut sint Diffinitores, uti *loc. cit. num.* 8. bene advertit Ludovicus de Ameno, addens, quòd in casu, quo desunt in simili causa periti, & periculum fugæ requirat, possit se solo carcerationem decernere Judex.

400 Porro si Judex cum, vel sine consilio peritorum, custodiæ causâ carcerare vult Reum, debet desuper facere Decretum, & in illo exprimere causam, ob quam incarcerat Reum, & ante omnia advertere, ne in Rei captura sæcularibus scandalum ingeratur; nisi summum aliquod scelus, & publicum commissset, quo scandalum sæcularium inferius esset, ut bene statuitur in nostra Practica Criminali *loc. cit.* Decretum autem carcerandi statim ad, vel ante initium Processûs potest fieri, ut sequitur.

401 *Cùm Fr. N. fuerit accusatus de gravi crimine N. trahente secum gravem pœnam, ita ut inspectâ naturâ vel malitiâ Rei aliunde cognitâ, meritò suspicandum sit, ne fugiat, aut testes subornet, impediat, vel terreat, ac insuper vi informationis extrajudicialis satis appareat, ipsum reverà fore condemnandum: Hinc ne Justitia sine suo frustretur, A. R. P. Provincialis cum consilio PP. NN. quos magis peritos & habiles ad propositum in hoc Conventu reputavit, decrevit, prout præsenti Decreto decernit, præfatum Fr. N. carceri custodiæ causâ tradere, datâ commissione P. N. Priori, vel Guardiano* (si in nostro Ordine est, addatur) *ita tamen, ut nec chorda, nec caputium eidem auferatur. Acta sunt hæc die. Mense. Anno. loco.*

Ego Fr. N. ita consului.
Ego Fr. N. ita consului.
Ego Fr. N. ita consului.
Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Intimato per me hoc Decreto P. N. Priori, vel *Guardiano dixit ille se statim executurum commissionem, prout post spatium iterum coram me comparuit, & retulit, se executioni jam mandâsse Decretum. Acta sunt hæc &c.*

Ego Fr. N. Actuarius.

Si post Processum informativum incarcerare Reum vult ante constitutionem ipsius, paulò aliter, & quidem tali modo fit initium Decreti.

Consequenter cùm A. R. P. Provincialis consideratis considerandis, & attentis depositionibus testium, ac indiciis constet, crimen non tantùm semiplenè vel ultrà jam esse probatum, sed etiam tam grave, ut pœnam gravem secum trahat, adeoque inspectâ naturâ &c. Reliqua ut suprà.

Si Reus à Decreto carcerationis appellat, non attendatur, sed executio fiat; quia talis appellatio effectum suspensivum non habet, sed tantum devolutivum. 402

De Constitutione Rei.

SUMMARIUM.

403 *Examinatis Testibus in Processu informativo, seu offensivo, & habitâ saltem semiplenâ probatione delicti, fit Decretum de constituendo Reo. Et quomodò? Ibid.*

404 *Dein assumuntur Assessores (si nondum adsint) qui intersint examini Rei.*

405 *Posteà citatur, & constituitur Reus. Et quomodò? Ibid.*

406 *Qualiter ante omnia monere, & adhortari debeat Judex Reum constitutum?*

407 *Si Reus ante sui examen, & responsiones à se dandas, petit Advocatum, vel copiam Actorum, vel nomina Accusatoris, aut Testium, nullatenus exaudiri, sed urgeri debet, ut prius respondeat. Et num. seq.*

408 *Aliter res se habet in Processu Civili.*

409 *Si Reus est excommunicatus, prius absolvitur.*

QUando Judex cognoscit, quòd ex Processu informativo, seu ex informatione summaria, seu offensiva (ita dicta, quia per visitationem Corporis delicti, examen Testium, & scripturarum, quæ in illa fiunt, informatur Judex, & offenditur Reus, contra quem præfata militant) delictum, in quo Reus fuit accusatus, jam plenè vel saltem semiplenè existat probatum, procedit ad constituendum, & examinandum Reum, nisi enim ex Processu informativo constet, delictum esse saltem semiplenè probatum, non potest constitui, & examinari Reus, prout jam dictum est suprà *num.* 361. Unde si Judex ante semiplenam probationem delicti Reum citaret, & constitueret, illicitè & invalidè ageret, ac saltem in nostra Religione peccaret mortaliter, uti constat ex praxi *Crimin. Tit. Reus. §. III.* & ibi amplius notat Ameno. Pro quo fine facit Decretum, ut sequitur. 403

Cùm ex actitatis hactenus ad minimum semiplena habeatur probatio, Fr. Mævium saltem esse Reum furti monilium, suspectarum Litterarum, violentæ effractionis carceris &c. (& quando non de omnibus, sed tantum de uno, vel altero, aut aliquibus, in quibus accusabatur Reus,

Reus, adest semiplena probatio, dicatur esse Reum saltem de NN. (exprimantur delicta) & de illis solis constituatur, & examinetur, *sicque sufficientia adesse, ut Reus constitui, & constitutus legitimè examinari valeat. A. R. P. NN. Judex decrevit, dictum Fr. N. Reum constituere, & examinare, aliaque, prout de Jure prosequi. Acta sunt hæc die. Anno. Mense. loco.*

Ego Fr. N. Judex &c.
Ego Fr. N. Actuarius.

404 Dein assumit duos Assessores Partes graves, qui obligati ad secretum interfint examini Rei, illudque semper subscribant; licèt enim necessarii non sint præsertim in Processu informativo, tamen, ut examini Rei interfint, necesse videtur ob multas rationes, de quibus suprà *num.* 346.

405 Assessoribus assumptis, & jam præsentibus citatur, & constituitur Reus vel familiariter, vel Juridicè, eo modo, quo diximus suprà *num.* 369. de citatione Testium. Casu quo autem Reus jam auffugit, citatur etiam absens, de quo vide Ludovicum de Ameno *in Practica Criminali Formul. Sect.* 5. *num.* 10.

406 Si Reus nondum fugit, sed citatus comparet, & constituitur coram Judice, debet ante omnia charitativè Reum admonere de statu suo, videlicet, quòd modò ut legitimè constitutus Reus compareat, debet ipsum adhortari debitè, & imponere illi juramentum de dicenda veritate: Adhortatio præcipuè fieri potest de obligatione sub mortali peccato duplici tam contrà obedientiam, quàm contra Religionem (contra quam perjurando ageret) sincerè in omnibus fatendi veritatem, & ad sensum judicis sine æquivocatione, aut restrictione mentali respondendi: In eadem adhortatione præmonere poterit, quòd nisi in cunctis sincerè & veridicè respondeat, brevi temporis spatio plurima sit commissurus perjuria (quorum gravitas etiam declaretur) indeque causam sibi duriorem faciat; Deum sibi Adversarium reddat; judici liget manus ad clementiam exhibendam: econtra si sponte fateatur, signaque pœnitentiæ & emendationis edat, Deum & judicem tanquam patrem pro se habiturus, pœnas diminuturus, clementemque sententiam habiturus sit &c. Præcipuè autem debet ei intimare, quòd delictum vel delicta, de quibus interrogabitur, sint taliter in Actis probata; ut Judex ipsum legitimè interrogare, & consequenter Reus ad interrogationes sub obedientia, & sub culpa, ac pœna perjurii respondere teneatur.

407 Quòd si Reus id credere nollet, sed se innocentem diceret, ac propterea peteret copiam Processûs hactenus formati, vel Libellum accusatorium, aut depositionem Testium, aut nomina eorum &c. nullo modo ei deferre potest, aut debet Judex, sed econtra urgere Reum, ut priùs ad cuncta proponenda respondeat; aliàs enim, si priùs sciret Reus, quæ contra ipsum proposita, & deposita essent, item quæ, & qualiter probata existerent, facilè præparare se posset ad respondendum, suasque per responsiones indicia evacuare, & facere posset, ut Processus effectu careret.

840 Hinc quamvis in causa & Processu Civili Libellus communicetur, statim ac Reus citatur, & post litis contestationem etiam communicentur Articuli &c. idemque de rigore juris fieri debere in Processu Criminali, velint nonnulli, tamen consuetudine (quæ est optima Legum interpres) jam introductum habetur; ut antequam ad cuncta respondeat Reus, nec Libellus, nec depositiones Testium, nec quid aliud ex Actis communicetur, nec Patronus seu Advocatus assignetur: idque ob rationes *num. præced.* assignatas, uti cum aliis bene advertit Ludovicus de Ameno *Tit. XIX.* §. *IV. num.* 15.

Actuarius verò factam Rei constitutionem, ejusque præstitum juramentum, ac judicis adhortationem præmissam, Actis inserit sequenti modo.

Anno. Mense. die. In Conventu &c. in Camera N. utpote loco pro Tribunali erecto vocatus & canonicè constitutus fuit coram A. R. P. Provinciali, & RR. PP. NN. Assessoribus, & me Actuario N. Fr. Mævius N. Reus in causa principali, qui declarato illi statu causæ suæ (videlicet, quòd in Actis habeantur ea, quæ requiruntur ad eum Juridicè constituendum & examinandum ut Reum; præmissaque monitione, quòd sub gravissimo peccato mortali, & æterna damnatione teneatur ad sensum, & mentem Judicis sine dolosa æquivocatione, aut restrictione mentali sincerè ac simpliciter respondere, veritatemque fateri; accedente præsertim juramento de dicenda veritate, quod tacto pectore præstitit) ad factas interrogationes respondit, ut sequitur.

Notandum hic, quòd si Reus ex delicto aliquo, 409
de quo jam constat, esset excommunicatus, deberet, dum constituitur, ante omnia absolvi ab excommunicatione, & absolutio facta inseri relationi huic constitutionis, v. g. post verba illa: *Reus in causa principali*; ita fieret relatio: *Et quia per legitimas probationes, prout in Actis sufficienter constat, Reum commisisse delictum ac propterea in excommunicationem incidisse ideo A. R. P. Provincialis cum absolvit præcisè ad effectum adstanti & se tuendi in judicio & non aliter, ac cum reincidentia; cùm ipse non possit probare se esse absolutum.*

De Recusatione Judicis, Actuarii, vel Assessoris.

SUMMARIUM.

410 *Si Reus recusare vult Judicem, potest id facere statim ac rescit, ipsum incipere Processum informativum contra se: vel potest exspectare, donec citetur & constituatur.*

411 *Et quomodò?*

412 *Reus debet in libello recusationis allegare causam coram Judice recusato, qui eam examinat, & si justam reperit, recusanti defert.*

413 *Forma, & praxis recusandi Judicem.*

414 *Forma acceptandi libellum recusatorium, & alium concedendi judicem.*

415 *Si causa recusandi judicem non est apertè justa, sed dubia: quid faciendum judici tam delegato, quam ordinario?*

416 *Dubia causa potest etiam arbitris dijudicanda committi: Et quomodò?*

417 *Forma & praxis hujus Commissionis.*

418 *Qualiter causam Recusationis examinent, & super ea pronuntient Arbitri?*

419 *Si causa Recusationis est apertè falsa, aut frivola, eam ipse recusatus Judex statim rejicere & in Processu pergere potest: Forma hujus. ibid.*

420 *Si Reus post recusationem Judicis etiam justè factam, et adhuc sine protestatione Judicialiter obedit respondet &c. in eum de novo consentire videtur.*

421 *Sicut*

421 *Sicut Judex, ita etiam Actuarius, vel Assessor recusari potest. Et quomodo? Remissivè.*

410 SI Reus recusare vult judicem tanquam suspectum, prout ex justa causa potest, optimè facit, si statim ac notitiam acquirit, Judicem jam incipere formare Processum informativum contra se, Libellum Recusationis formet, & judici offerat, sic enim eum citò provenit, & à Processu informativo impedit. Si verò exspectare vult, donec citetur, vel non fit, quòd contra se Processus fiat, potest, & etiam debet Recusationem necessariò facere ante litis contestationem; nam post illam, & quando semel Judici parere & litigare incipit, præstando juramentum vel respondendo judici examinanti, in illum consentire censetur, & eum ampliùs recusare non potest, nisi justa causa de novo superveniat, aut priùs existens ei incognita fuerit.

411 In casu itaque, quo citatus coram judice comparet, & hic ei juramentum de dicenda veritate imponit, nullo modo juret, sed (si recusare vult judicem) debita cum reverentia, ac modestiâ dicat, v. g. *A. R. Paternitas mihi ignoscat, ego non juro, nec litem contestor; quia A. R. Paternitatem ut Judicem acceptare non possum, sed eandem ex justa causa tanquam suspectam recuso juxta Libellum, quem hic humillime offero*: si Libellum nondum fecit, vel secum non habet, dicet: *juxta Libellum quem hodie adhuc offeram*, dein faciat libellum Recusationis, & illo die adhuc offerat.

412 Ut autem Recusatio legitimè fiat, debet Recusans allegare causam in Libello Recusationis coram judice recusato, qui Recusationis causam bene perpendat, &, si eam invenit legitimam ac justam, debet illam admittere, ac Reum ad Superiorem remittere, vel (si Judex ordinarius recusatus fuit) judicem delegatum non suspectum, deputare. Inter causas legitimas recusandi judicem sunt etiam, si Judex est consanguineus, vel Affinis partis adversæ, Denuntiatoris v. g. vel Accusatoris, vel si nimio affectu erga eam ducatur: vel si sit inimicus Rei: vel habeat interesse in causa &c. Incumbit tamen Reo onus probandi causam: & quidquid fit, registratur in Actis sequenti modo: Et quidem, si Reus, antequam citatur, & constituitur, judicem recusare vult ad hoc, ut neque in Processu informativo pergere valeat, Libellus tali modo formari potest.

413 *Cùm famâ deferente pervenerit ad aures Fr. N. Processum formari contra se ab A. R. P. Provinciali, & ipse timeat, sibi eventurum aliquod gravamen, hinc ut præveniat, ad evitandum omne secuturum præjudicium comparet coram A. R. P. Provinciali, & dicit (omni tamen quà par est, reverentiâ & respectu) quòd persona ejusdem in hac causa sibi sit suspecta ex eo, quia:* (hic exprimitur causa suspicionis, & consequenter recusandi judicem.) *Quapropter cùm omnia jura concedant suspectum Judicem declinare, repetitâ reverentiâ & humilitate debita, ipsum ut Judicem contra se omni meliori Juris forma ob præfatam causam recusat. Quòd si nihilominùs causæ huic se immiscere contra Juris formam attentaverit ex nunc, & pro tunc dicit de nullitate actuum appellatque ad quem, & ad quos de Jure, atque recursum petit ad Superiorem*: si verò primùm postquàm citatus fuit, judicem recusat & libellum offerre vult, eum formet sequenti aut simili modo.

Comparet coram A. R. P. Provinciali Fr. N. & dicit omni debita reverentia, quòd persona ejusdem &c. ut suprà. Acta sunt hæc die. &c.

Ego Fr. N. Ita recuso, appello, recurro.

Potest etiam Reus, si ex causa Superiorem adire non vult, coram Testibus ita recusare Judicem, & Libellum ad ipsum mittere subscriptum à Testibus.

Porro Actuarius Recusationem, & oblationem 414
Libelli Actis inserit, sicut etiam resolutionem Judicis desuper factam, v. g.

Die. Mense. Anno. loco. coram A. R. P. N. Provinciali comparuit F. N. & recusare volens Judicem præsentavit Recusationis libellum adjacens signatum Litter. D, incipit &c. & definit &c. tenor autem ipsius est sequens: scribitur tenor Libelli.

Oblatum hunc libellum, postquàm A. R. P. N. Provincialis consideratis considerandis satis perpendit, admisit, si, & in quantum &c. decrevitque, prout præsenti Decreto decernit alium non suspectum Judicem delegare, vel reum ad Superiorem dirigere, vel (si Judex est delegatus) *A. R. P. Provinciali referre, ut alium reo deputet Judicem. Acta sunt hæc Die. Mense. Anno. loco.*

Ego Fr. N. Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Si causa recusandi judicem non est apertè justa, 415
sed dubia, & Judex est Ordinarius, potest pro libitu suo Recusantem vel dirigere ad Superiorem, vel ei alium non suspectum Judicem delegare, vel causam Arbitris dijudicandam committere, ita ut Judex aliquem, & Reus aliquem denominet; vel etiam Reus plures nominet, ex quibus liberum sit judici vel Actori unum ex his à Reo denominatis seligere.

Si autem Judex est delegatus, debet existente dubiâ Recusationis causâ admittere, ut causa per Arbitros præfato modo eligendos dijudicetur, nisi velit causam ad Superiorem delegantem remittere.

Porro sive Judex sit delegatus, sive ordina- 416
rius, potest; & debet Arbitris electis præfigere terminum ad pronuntiandum super validitate causæ, ita, ut si intrà terminum præfixum non pronuntiaverint, in causa procedere valeat, nisi forsan ad instantiam Arbitrorum, aut Rei terminum ulteriùs prolongaverit. Forma deputandi Arbitros, & terminum eis præfigendi sequens est.

Post oblatum nempe Recusationis libellum, causam nonnisi dubiam continentem Judex insinuat Reo, quòd vel in simul velint unum, aut plures Arbitros assumere, vel ipse Reus denominet aliquos, ex quibus Judex, aut Accusator dein aliquem assumere pro libitu possit; quo facto fit Registratio per Notarium modo sequenti.

Oblato per reum, & sufficienter pensato per A. 417
R. P. N. Provincialem recusationis libello resolvit idem A. R. P. Provincialis causam recusationis committere Arbitris, prout Juris. Hinc reo intimavit, quòd vel in simul velint unum aut plures denominare, aut quivis aliquem aut ipse reus solus denominet plures, relinquatque libertatem Judici, aut Accusatori assumendi ex his unum, vel plures, qui super validitate causæ cognoscerent, quo percepto reus gratias egit A. R. P. Provinciali, & dixit, quod pro sua parte denominet P. N. vel denominet hos P. P. NN. &c. Acta sunt hæc &c.

Ego Fr. N. nominavi ut suprà.
Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Consequenter etiam A. R. P. Provincialis nominavit in arbitrum ex parte sua P. N. sive ex nominatis à reo, in arbitrum communem deputavit P. N. vel P. P. NN. illumque, vel illos coram se vocari fecit, & electionem illorum in Arbitros manifestavit. Et cùm Arbitrium acceptâsset, assignavit illis terminum octo v. g. dierum ad pronuntiandum; processurus in causa, prout de Jure; si intrà illud tempus non pronuntiarent. Acta sunt hæc Die. Mense &c.

418 Posteà Arbiter, vel Arbitri examinant causam, & Testes à Reo productos, aliasque probationes ut veri judices recipiunt, adhibito ad id etiam Notario, pro Actuario cuncta notante, prout de Jure (de quo ampliùs videri potest Ludovicus de Ameno *in Formular. Criminal. sect. II. num.* 41. Causâ sufficienter examinatâ ferunt sententiam in scriptis, citato priùs Recusante. Forma sententiæ esse potest sequens.

In Nomine SS. Trinitatis, & B. V. Mariæ Amen. JEsu Christi Salvatoris Nomine invocato: Nos FF. NN. Arbitri Juris electi, & respectivè à Partibus destinati ad judicandum in causa recusationis in Judicio factæ à Fr. N. reo prætenso, de persona A. R. P. Provincialis, examinatis Testibus, & probationibus hinc inde productis, & auditis Partibus pro, ac contra informantibus, pleneque discussis causæ meritis, Deum solùm omnis justitiæ fontem præ oculis habentes, JEsu Christi Nomine repetito dicimus, nullatenus, nec plenè, nec semiplenè constare de causa recusationis assertæ, vel causam recusationis assertam esse frivolam, videlicet quòd (exprimitur hic causa) *proinde sententiamus, prædictam recusationem nullius esse valoris, & per eam nullo modo impediri jurisdictionem A. R. P. Provincialis, quo minùs causam contra Fr. N. incæptam, vel incipiendam prosequi valeat. Ita pronuntiavimus Nos qui suprà, die &c.*

Ego N. Arbiter.
Ego N. Arbiter.
Ego N. Actuarius.

Quòd si causa Recusationis Arbitris videatur dubia, vel semiplenè probata, debent pro Reo pronuntiare; quia in dubio semper magis favendum est Reo, v. g.

In Nomine &c. Christi Nomine repetito, dicimus constare de causa quantùm satis est; Proinde sententiamus, eam tanquam legitimam subsistere, & propterea A. R. P. Provincialem debere à prosecutione, vel inchoatione causæ contra recusantem desistere, ipsumque reum, vel ad Superiorem remittere vel illi cum ejusdem consensu non suspectum Judicem delegare. Ita pronuntiavimus &c. ut suprà.

419 Si causa recusandi judicem est apertè falsa, vel frivola, ipse Judex solus, etiam delegatus, illam statim rejicere, eaque non obstante in Processu pergere potest. Decretum rejectionis notat Actuarius, v. g. in causa Fr. Mævii.

Die. Mense. Anno. Fr. Mævius præsentavit quidem Libellum Litt. D, Qui incipit &c. & desinit &c. quo A. R. P. Provincialem tanquam suspectum Judicem recusat. Verùm quia allegata suspicionis causa manifestè falsa, vel frivola est, memoratus Libellus ab A. R. P. Provinciali rejectus fuit.

420 Notandum hic specialiter, quòd, si Reus post judicis Recusationem etiam ex justa causa factam, judici sine protestatione *judiciliter* adhuc obedit, respondet, jurat, comparet &c. hoc ipso Recusationem denuo deserere, & in judicem consentire censeatur, adeò, ut in posterum Judex validè & licitè in Processu agat.

Item notandum, quòd sicut Judex, ita etiam 421
Actuarius, Assessor, Diffinitor &c. recusari potest ex causa in Libello Recusationis exprimenda: vide de hoc Ludovicum de Ameno *Tit. Canon. q.* 5. *à num.* 116. & *in Formul. Criminal. sect.* 1. *num.* 24. & 25.

De Examine Rei.

422 *Regulæ in examinando Reo observandæ à Judice, usque ad num.* 431.
427 *Reo petenti spatium deliberandi; aut Relectionem prioris petitionis non debet deferri.*
430 *Reus ordinariè extra carceres examinari debet.*
431 *Potest constitui, & examinari toties quoties.*
432 *Foma examinis rei quoad Generalia.*
433 *An & quando poni debeat Interrogatorium, utrum, & quales habeat inimicos &c.*
434 *Absolutis Generalibus proponit Judex interrogatoria specialia: & quomodò?*
435 *Forma & praxis interrogandi & examinandi reum super specialibus, præsertim circa Literas manus ipsius scriptas.*
436 *Forma & praxis secundò constituendi, & examinandi Reum.*
437 *Quid faciendum, si Reus ad interrogatorium aliquod respondere recusat, vel non absolutè respondet, sed dubiè?*
Potest puniri, & torqueri: & quomodò? Ibid.

Quando Reus citatus comparet, & neminem 422
recusat, vel si Recusatio ejus fuit rejecta, incipit Judex examinare Reum modo statim allegando. Notandum autem priùs, quòd Judex in examinando prudenter & cautè procedere debeat: pro quo servient ei Regulæ examinandi Reum à DD. passim præscriptæ, ut à Ludovico de Ameno *loc. cit. à num.* 17. Passerin *in Tribunali Regular. q.* 22. *art.* 1. Præcipuè autem observare debet.

Primò, ut se accommodet conditioni, & qua- 423
litati Rei.

Secundò, ne facilè excandescat contra Reum 424
quantumvis criminosum, pertinacem, & mendacem; quamvis exigentibus circumstantiis etiam increpare, confundere, indèque illum ad veridicè respondendum adigere valeat. Imò potest Reum in sua præsentia delinquentem statim etiam punire, juxta dicenda infrà *n.* 437.

Tertiò, ut non statim de ipsa substantia deli- 425
cti, sed à longè incedat incipiendo à Generalibus ad particularia descendendo, interroget priùs de indiciis, de circumstantiis variis etiam talibus, ut Reus non statim advertat, quo tendat Judex, quia tali modo multa concedet Reus, quæ sibi non nocere existimat, quibus posteà concessis & combinatis, cum aliis cogitur fateri, quòd aliàs nunquam fassus esset. Ad quem finem etiam non ordinatè & secundùm seriem eventùs interrogare, sed interrogatoria perturbare, & miscere debet: quia si Reus consecutivè interrogatur, facilè fingere potest mendacia sibi non repugnantia, vel facilè non capitur in sermone. Econtrà si interrogatoria sine ordine confunduntur, Reus mendax difficillimè recordari poterit, quæ hinc inde depofuit, & inde illico variæ contradictiones, mendacia ac perjuria evenient, ex quibus Reus confundi, & ad dicendam veritatem efficaciùs urgeri poterit.

Ad

Ad eundem finem poterit Reus de eadem re, aut circumstantia per intervallum denuo & sæpiùs interrogari ad videndum, an sibi sit constans; quòd si intentionem judicis advertens Reus & timens, ne sibi contradicat, ad prius responsum se remittere velit, dicendo, *de hoc jam respondi, quod dixi, dixi*, urgeri debet, & potest etiam per torturas, ut de novo per extensum respondeat.

427 Si ad evadendas contradictiones, & pallianda forsan mendacia petit spatium deliberandi, & se recolligendi, non debet ei concedi; quia in criminalibus non datur Reo spatium ad deliberandum. Pariter gratificari eidem non debet, si petit, ut sibi prælegantur antecedentia responsa ab eodem facta; quia hoc esset ipsum instruere, ut contradictionem evadere, & consequenter mentiri posset. Secus est de Teste, cui petenti depositio sua prælegitur, cùm enim non de propria sed aliena causa respondeat, minùs recordari, minùsque suspectus de falsitate censetur. De quibus fusiùs Ludovicus de Ameno *Tit. Reus XIX. §. IV. à num.* 23.

428 *Quartò*, Si Reus incipiat delictum fateri, debet Judex uti occasione, & indefessè, pro tunc prosequi examen; quia Reus pro tunc videtur dispositus ad confitendum; unde etiam habità confessione delicti, debet omnes circumstantias loci, temporis, occasionis, causæ, finis, modi, complicum &c. indagare.

429 *Quintò*, Suggestiva interrogatoria quoque vitare oportet, & ut suggestio cognosci valeat, debet quodvis interrogatorium ex integro clarè & distinctè registrari, consequenter illud vitari, quo in Protocollo tantùm ponitur: *ad opportunam interrogationem, respondit &c.*

430 *Sextò*, si Reus custodiæ causâ est in carcere, ordinariè extra illum in loco libero examinari debet; ita tamen, ut si est robustus, & fortis, ne perditæ vitæ, consequenter rationabiliter timeri posset fuga, aut alia insolentia ipsius, ligatus manicis ferreis duci possit ad locum examinis. Quòd si commodè, vel absque scandalo extra carcerem examinari nequit, etiam in illo examinari poterit.

431 Tandem scire debet Judex, quòd non tantùm ter, sicut aliqui minùs rectè senserunt, sed toties quoties ei videbitur, constituere & examinare Reum, sicut & Testes possit.

Factâ itaque constitutione, & adhortatione Rei, præstitoque per eum juramento examinatur, ut sequitur.

Ad Generalia.

432 1. *Interrogatus, quomodò vocetur? Resp. vocor Fr. Mævius.*

Notandum, quòd etsi juxta dicta suprà *num.* 368. responsiones Testium, & Rei debeant idiomate materno Actis inseri, tamen ut omnes cujuscunque Lectores eas intelligant ad evitandam repetitionem, hic latinè tantùm eas ponere intendamus.

2. *Interrog. Cujus ætatis, & status existat? Resp. Ago 40. annum, & sum indignum membrum hujus Ordinis.*

3. *Interrog. In quo Conventu de familia existat, & quamdiu? Resp. Jam per 2. annos in ipso Conventu moror.*

4. *Interrog. Quale officium ibidem habeat? Resp. Sum communis Sacerdos.*

5. *Interrog. An sciat, vel imaginari sibi possit causam vocationis suæ? si respondit: ita*, vel, *bene mihi possum imaginari*, urgeat ipsum edicere causam, & unde eam sciat, continuetque pro diversitate responsionum interrogatoria: si autem respondeat se nescire, ulteriùs pergat, &, si fuit incarceratus.

6. *Interrog. A quo loco veniat? Resp. E carceribus.*

7. *Interrog. An sciat, aut imaginari sibi possit causam incarcerationis suæ? Si Resp. affirmativè, continuetur interrogatio de causa scientiæ, si minùs, pergatur ulterius.*

Inter generalia interrogatoria poni volunt aliqui etiam illud. *An & quales reus habeat inimicos? vel quid de his?* (nominantur aliqui promiscuè, inter quos etiam miscentur Testes, vel accusator, vel Denuntiator Judicialis) *an sint viri honesti? & an nullus inter hos sit ejus inimicus?* Et hoc interrogatorium fieri ideo suadent, ut si Reus ignarus, an, & quis ex istis sibi contrarius sit, illos; vel certos aliquos sibi inimicos non esse asserat, contra illos posteà tanquam sui inimicos excipere non valeat. 433

Verùm alii, & in specie Ludovicus de Ameno contra hujusmodi interrogatoria multùm clamant, dicentes, illis adimi defensiones Reo jure naturæ debitas.

Nos mediâ viâ incedentes arbitramur, docendo, præfatum interrogatorium non ordinariè, sed subinde & tunc præcipuè fieri posse, & debere; quandò ex una parte jam satis constat de Rei crimine, ex altera parte autem non latet malitia, & astutia Rei omnibus etiam modis quærentis evadere, & consequenter etiam viros omni exceptione notoriè majores suspectos, & inhabiles reddere ad testificandum, vel accusandum, præsertim ob falsò prætendendam inimicitiam, bono communi interim exigente, ut ad exemplum aliorum, & tollenda scandala publicè puniatur, quando autem circumstantiæ ita se habeant, judicis arbitrio & conscientiæ relinquitur.

Cæterùm his & similibus generalibus expeditis 434
ad specialia descendit Judex, & si Libellus articulatus fuit oblatus, potest pro sua propria majore commoditate sibi facere & ante oculos habere separatam & privatam aliquam rubricam, super quo articulo, & qualibus interrogatoriis velit ipsum examinare; nam in ejus libertate est, priùs super ultimo, aut secundo, vel primo Articulo examen instituere; pariter in ejus libertate est, num velit in examine super uno Articulo aliqua admiscere pertinentia ad alium Articulum; imò hoc expedit, ut, si Reus mendax sit, faciliùs confundatur, & ad fatendam veritatem adigatur: vel potest Rubricam ponere super aliquibus, aut omnibus Articulis promiscuè juxta dicenda infrà.

Potest autem Judex Reum non tantùm ter, ut aliqui minùs rectè putarunt, sed sæpiùs, & prout ei visum fuerit, constituere & examinare in quovis constituto juxta arbitrium suum. Quamvis enim ordinariè in primo constituto à remotis indiciis incipere, & ad proximiora successivè in secundo & tertio constituto descendere expediat, tamen bene, & sæpè contingere potest, ut exigentibus circumstantiis, præsertim in examine emergentibus, statim in primo constituto de proximis indiciis, & super ipso delicto interrogari possit ac debeat; ut proin Judex non multum attendere debeat ad numerum constituti, seu an primâ, secundâ, vel aliâ vice sit constitutus, sed ut ita prudenter examinet Reum, quatenus veritas eruatur. Itaque

Ad Specialia super Articulis promiscuè, præsertim super secundo, quinto, & sexto.

1. Inter-

1. *Interrogatus, an noscat puellam Bibianam N.* Resp. Cognosco.

2. *Interrog. Unde & quâ occasione illam noscat?* Resp. visitavi illam unâ vel alterâ vice in domo.

3. *Interrog. Quare ipsam visitârit?* Resp. Pro discursu spirituali.

4. *Interrog. An cum licentia Superioris illam visitârit?* Resp. Non, præsumpsi tamen, illum non fore contrarium.

5. *Interrog. An nunquam ei scripserit Litteras?* Resp. Non.

Monitus ab A. R. P. Provinciali, ut bene se reflecteret, simulque memoriam revocaret gravissimam obligationem, quam tum ex obedientia, tum ex juramento habet, dicendi nudam veritatem: respondit non scripsi eidem.

Posteà A. R. P. Provincialis accepit Litteras indifferentes, quas ipse reus Fr. Pio aliquando scripserat, & manu tegendo cuncta, tantùm nomen ipsius subscriptum exhibuit eidem & interrogavit: An non sit hæc scriptura ejus? Ad quod reus nesciens an non forsan esset aliqua intercepta epistola Bibianæ scripta: audacter respondit: Non est meus character.

6. *Interrog. Quomodò non possit esse suus, cum sit simillimus?* Resp. Fateor esse similem, tamen meus non est; sæpiùs fiunt imitationes litterarum.

7. *Interrog. Quomodò dicere possit, non esse suum characterem, cùm fateatur esse simillimum?* Resp. Quidquid sit, non est meus character.

8. *Interrog. An nunquam scripserit Fr. Pio?* Resp. Scripsi ei sæpiùs.

Dein A. R. P. Provincialis exhibuit ei totam epistolam, dicto Fr. Pio per ipsum scriptam, de cujus subscriptione priùs interrogaverat; an non hanc epistolam totam ipse scripserit. Resp. Verum est, hanc epistolam scripsi totam.

9. *Interrog. Cur ergo hactenus tam audacter negaverit esse suum characterem? Reus verò confusus diu non respondit, tandem dixit, non putavi meum esse characterem.*

A. R. P. Provincialis eum tanquam suspectissimum de perjurio objurgavit, & ad dicendam veritatem, declinandamque gravissimam Dei offensam omnibus modis cohortatus est: posteà accepit epistolam signatam Litt. B, à reo Bibianæ scriptam, & rursus cuncta præter subscriptum Nomen, vel mediam lineam tegendo interrogavit, an non hic esset character ipsius? Reus nesciens, utrùm non ut priùs induceretur, fassus veritatem respondit. Ita, hic est meus character.

Tunc A. R. P. Provincialis totam exhibuit epistolam dicens: Ecce! juxta propriam confessionem hæc epistola à reverentia vestra est scripta; reus verò videns initium epistolæ sonare Charissima Bibiana, totus expalluit, quod illico advertens A. R. P. Provincialis cum indignatione interrogavit quare superiùs juratò negaverit, se nunquam scripsisse Bibianæ, reus totus confusus & timidus tacuit & mustavit. A. R. P. Provincialis verò urgebat, ut citò responderet. Resp. Non fui recordatus. Ob quod responsum tanquam perjurum rursus increpatus, & de novo admonuit ad dicendam veritatem.

10. *Interrog. An non plures alias epistolas puellæ Bibianæ scripserit?* Resp. Non recordor, me sæpiùs quàm semel scripsisse.

Jussus dein ab A. R. P. Provinciali, ut bene se recolligat, & cathegoricè respondeat. Resp. absolutè: Non sæpiùs scripsi.

Dein A. R. P. Judex accepit epistolam signatam Litt. C. & cunctis occultatis exhibens partem lineæ interrogavit, an non hic esset character ipsius? Resp. ita est. *Ad quod A. R. P. Provincialis denuo discooperiens totam exhibuit epistolam: ecce iterum tuum characterem, reus se rursus confusum videns tacuit.*

11. *Interrog. Qua fronte priùs iterum perjurare & dicere ausus sit, unam tantùm se scripsisse epistolam. Reus autem erubescens tacuit.*

12. *Interrog. An præter has duas non alias scripserit Bibianæ epistolas, & quot?* Resp. Scripsi etiam alias: quot autem, non ampliùs scio.

13. *Interrog. Quid scripserit eidem?* Resp. Non ampliùs recordor.

14. *Interrog. An nunquam scripserit eidem inter alia etiam hæc verba: Charissima Bibiana collige cuncta, quæ misi, & ita compinge, ut portatu difficilia non sint: Præpara etiam reliqua ad abitum. Consultum enim est, ut adhuc istâ septimanâ simul discedamus; quia ob varias mustationes in Conventu periculosum judico, diutiùs manere: audia enim, Superiorem in secreto jam indagare; Certè si manifestus fierem, in perpetuos carceres conjicere: severissimè enim apud nos omnia punituntur. Reus utique advertens, præter alias, etiam litteras hunc tenorem continentes, fuisse interceptas, noluit respondere: Cùm autem urgeretur ab A. R. P. Provinciali, rogavit pro facultate parùm discedendi, & urgenti naturæ satisfaciendi, A. R. P. Provincialis non obstante præsumptione, quod hâc occasione tantùm intendat lucrari tempus, ad recolligendum se, quomodò vel respondere, nihilominùs facultatem dedit, ita tamen ut duobus sociatus iret & statim iterum rediret.*

15. *Emansit autem ferè per quadrantem, & rediens denuo interrogatus: Num verba illa scripserit.* Resp. potest esse, quòd scripserim. *Ad quod A. R. P. Provincialis, Non tantùm potest esse, sed certum est, quòd scripserit: ita enim habet illâ epistola, quam à se scriptam esse, jam fassus est: Quam etiam ex mandato A. R. P. Provincialis alta voce legi: Reus verò totaliter confusus tacuit.*

16. *Interrogatus, quid miserit puellæ?* Resp. Misi eidem quædam munuscula spiritualia.

17. *Interrog. An nihil aliud?* Resp. Nihil scio.

18. *Interrog. An nunquam fuerit deprehensus solus in Sacristia.* Resp. Fui deprehensus.

19. *Interrog. Quid fecerit, vel quæ quæsierit ibidem?* Resp. Volebam accipere stolam ad benedicenda Numismata.

20. *Interrog. Quomodò potuerit intrare clausam Sacristiam?* Resp. Jam erat aperta.

21. *Interrog. Quo tempore fuerit deprehensus in Sacristia?* Resp. Noctu mediâ decimâ.

22. *Interrog. Quomodò tunc potuerit esse aperta, cum illo tempore semper aliàs sit, & debeat esse clausa?* Resp. Nescio causam.

23. *Interrog. An priùs, antequam adiverat Sacristiam, jam sciverat esse apertam?* Resp. Non scivit.

24. *Interrog. Si priùs non sciverat, Sacristiam esse apertam, quare adiverit illam, sciens, illo tempore semper esse clausam?* Resp. Volui videre, an non esset aperta.

25. *Interrog. Cur tam importuno & nocturno tempore accesserit?* Resp. Non potui dormire ideo cogitavit, quòd vellem benedicere Numismata.

26. *Interrog. An clauserit post se Sacristiam in illa jam existens, vel apertam reliquerit?* Resp. Semetipsam clausit, janua violenter ad seram prolabente.

27. *Interrog. An sciat Fr. Homobonum perdidisse aliquando clavem ad suam cellam?* Resp. Recordor.

28. *Interrog. Quis aperuerit ei dein cellam?* Resp. Ego aperui.

29. *Interrog. Quomodò potuerit aperire?* Resp. habui Patronum.

30. *Interrog. Unde acceperit clavem Regiam?* Resp. Inveni eam.

31. *Interrog. Ubinam, & quando eam receperit?* Resp. Jam pridem inveni illam in platea.

32. *Interrog. Quare ausus sit tam diu retinere, & cur non potiùs exhibuerit P. Superiori?* Tacuit reus aliquamdiu, compulsus tandem respondit, ut in casu necessitatis illâ uti possem.

Super aliis Articulis promiscuè, præcipuè super quarto, septimo & octavo.

33. *Interrog. An non subinde solus accesserit Altare B. V. Mariæ?* Resp. Accessi subinde.

34. *Interrog. An de die, vel de nocte?* Resp. Subinde de die, subinde de nocte.

35. *Interrog. Cur solus de nocte?* Resp. Majoris devotionis causâ.

36. *Interrog. An etiam, quando interior janua jam fuit clausa?* Resp. Ita.

37. *Interrog. Quis aperuerit ei?* Resp. Ego aperui clave regiâ, quam, uti jam dixi, inveni.

38. *Interrog. An clave hâc etiam aperuerit clausam januam Sacristiæ, quando illam pro stola accessit?* Resp. Ita.

39. *Interrog. Quare ergo superiùs responderit januam Sacristiæ fuisse jam apertam.* Resp. Erravi.

40. *Interrog. An sciat, in hoc Conventu furtò ablata esse Monstra B. V. M. consecrata, & calices Sacristiæ.* Resp. Audivi.

41. *Interrog. an sciat, à quo furtum hoc sit factum?* Resp. Non scio: nec enim sum custos harum rerum.

42. *Interrog. An non sit suspicio de uno vel altero? Et de quo?* Resp. Ego de nullo suspicor, quid alii suspicentur, ignoro.

43. *An non fuerit incarceratus?* Resp. Fui prob dolor!

44. *Quare fuerit incarceratus?* Resp. Nescio quia nullius mihi conscius sum: inde injustè me carceravit.

45. *An semper manserit in carcere?* Resp. Non: effregi carceres.

46. *Interrog. an habuerit adjuvantem se?* Resp. Neminem habui, nisi solum Deum, innocenti assistentem.

47. *Interrog. Quomodò solus destitutus omni instrumento, carceres tam arctè clausos effringere potuerit?* Resp. Et narravit totam speciem facti, videlicet &c.

Scribitur hic species Facti ab ipso narrata.

48. *Interrog. an nemo ipsum impedierit, aut detinuerit?* Resp. Fr. Justus accurrebat & apprehendens me detinere voluit, sed juvante Deo projeci ipsum ad terram, & sic evasi manus ejus.

49. *Interrog. an percusserint invicem?* Resp. Non.

50. *Interrog. Unde ergo vulnera Fr. Justi?* Resp. Nescio: potest esse quòd cadens in terram, allisserit caput ad lapides.

51. *Interrog. Quare effringens carcerem aufugerit, cùm innocens timere sibi non debuisset?* Resp. Etiam innocentes subinde damnantur.

52. *Interrog. Quò aufugerit?* Resp. Ad puellæ Bibianæ domum.

53. *Interrog. Quare ad hanc domum?* Resp. Quia notus eram ibi.

54. *Interrog. Quamdiù ibidem manserit?* Resp. Per octo dies, donec nempe Fr. Fidelis N. & Fr. Angelus N. me iterum duxerint ad Monasterium.

55. *Interrog. An in illa domo etiam alii homines habitent?* Resp. Nemo, præter unam ancillam Bibianæ.

56. *Interrog. An illa ancilla sciverit ejus præsentiam?* Resp. Quia aperuit mihi januam.

57. *Interrog. Quomodò ausus sit tam diu solus morari in domo inter puellas?* Resp. Sunt honestæ puellæ.

Et quia nox ingruebat, non volens A. R. P. Provincialis examen Rei omnino complere statuit illud pro tunc terminare, animo tamen id ipsum opportuno tempore iterum reassumendi, & perficiendi. Hinc Rei depositiones, si & in quantum acceptatis &c. Ego depositiones Reo prælegere, ipse verò sibi prælectas subscribere jussus, & dimissus est salvo jure &c. Acta sunt hæc Die. Mense. Anno. loco.

Ego Fr. Mævius ita deposui.
Ego Fr. N. Assessor.
Ego Fr. N. Assessor.
Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Quamvis juxta dicta superiùs in primo statim constituto, seu quando primâ vice constituitur Reus, possit Judex exigentibus circumstantiis de proximis indiciis, ac ipso delicto directè interrogare, tamen id plerumque fit in secundo, & tertio constituto, ubi ex depositionibus Testium, & responsionibus à Reo in primo constituto jàm datis facile formari possunt interrogatoria Reum summè stringentia; præsertim, quia plerumque in primo constituto malitiosi Rei sæpiùs mentiuntur, & plura committunt perjuria, quæ Judex in secundo, & aliis constitutis Reo exprobrare, indeque ad veritatem edicendam zelosè adhortari debet. Continuatur ergo Processus in secundo constituto, ut sequitur.

Die. Mense. Anno. Loco. Secundò vocatus & constitutus comparuit coram A. R. P. Provinciali Fr. Mævius, & charitativè ac zelosè simul monitus, ne cum tantis mendaciis & perjuriis, uti in primo constituto responderet, & gravissimè Deum offenderet, tali enim modo causam suam non meliorem sed deteriorem efficeret, Deumque, & Judicem sibi redderet inimicum &c. Dein jussus ut de novo deponere: juramentum de dicenda veritate, tacto pectore illud præstitit, & respondit, ut sequitur.

1. *Interrogatus, an cogitaverit interea periculosum suæ animæ statum, & gravitatem peccati, ac perjurii perpendens resolverit sinceré impositum & veridicè respondere, an verò deliberatissimè amantissimum & semper præsentissimum Deum graviter offendere, & in statu damnationis mancipium æternus permanere?* Resp. Nihil aliud intendo, quàm veritatem dicere.

2. *Interrog. Cur in priori constituto non responderit veridicè, sed toties mentiri, & perjurare ausus sit?* Resp. Ego nec mendacium nec perjurium feci, sed nudam dixi veritatem.

Ad quod A. R. P. Provincialis: Ecce hoc ipsum est gravissimum & apertissimum perjurium; cùm nobis, & ipsimet certò constet, illum in priori constituto & examine plura fecisse perjuria. An non timeat sibi, ne ob tam deliberatam, & post tot correctiones, continuata gravissima peccata, Deus ipsum sibitò puniat. Ecce Charissime &c. cesset itaque tam malitiosè offendere Deum.

3. *Interrog. Quid velint sibi illa verba (consultum est, ut hâc septimanâ adhuc simul discedamus) quonam voluerint discedere?* Resp. Ivissemus ad Capellam B. V. M. mediâ horâ hinc distantem.

4. *Interrog. Ad quid ergo verba sequentia? (periculosum judicio diutiùs permanere)* Resp. Quia forsan postea non ampliùs fuisset tam opportuna occasio.

5. *Interrog. Quomodò quadret cum his, & quid velint verba statim sequentia? (certè si manifestus fierem, in perpetuos carceres conjicerer) Quid est illud, ratione cujus timet carceres perpetuos? Ad hoc reus diu respondere noluit, continuò autem urgenti responsum A. R. P. Provinciali tandem respondit. Ipsemet nescio, quare, vel quomodò hæc verba stulta scripserim; cùm nullus mihi conscius sim.*

A. R. P. Provincialis autem hoc responso minimè contentus

tentus urgebat absolutum responsum: reus verò tacuit, & ad repetitas instantias denuo respondit: quod dixi, dixi.

437 Notandum hic, quòd si Reus vel omnino respondere recuset ad interrogatorium aliquod, vel non absolutè respondere velit dicendo: „*Non recordor, non ampliùs scio &c.* vel remittit se ad priora dicta, vel vacillat, aut sibi hinc inde contradicit, possit sub carceris, aut aliâ pœnâ adigi ad absolutè, & simpliciter respondendum, adhibito tamen (præsertim si carcer imponitur) consilio Discretorum, & factâ protestatione, quòd hoc præcisè faciat, ut Reum adigat ad debitè respondendum, de quo vide Ludovicum de Ameno *in Formul. Criminal. sect. V. nu. XX.* sic etiam ad propositum nostrum.

Verùm A. R. P. Provincialis ulteriùs urgebat absolutum responsum, additis repetitis minis torturæ & aliarum pœnarum, quas minimè curans reus quia nihilominùs pertinax manebat, ideo salvis per omnia Juribus curiæ hactenus acquisitis decrevit, prout præsenti Decreto decernis cum consilio duorum Assessorum, utpote aliàs Discretorum Conventûs (si Assessores non adessent, alii adhiberi & exprimi in Decreto deberent) *reum tamdiu pane & aquâ punire, donec ad præfatum interrogatorium absolutè & simpliciter responderet. Addidit tamen A. R. P. Provincialis, quòd hanc torturam præcisè ad hunc, & nullum alium finem adhibeat, ut reus debitè respondeat. Acta sunt hæc Die. Mense. Anno. loco.*

Ego Fr. N. Assessor ita consului.
Ego Fr. N. Assessor idem censui.
Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Reus verò prælecta sibi responsa subscribere jussus, & dimissus est eodem tempore, & loco.

Ego Fr. Mævius confirmo ut suprà.
Ego Fr. N. Assessor.
Ego Fr. N. Assessor.
Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Impositâ Reo pœnitentiâ per modum torturæ potest Judex aliquo tempore, juxta arbitrium suum expectare, & videre, an non ipse resipiscat: in sua autem pertinacia permanentem posteà iterum vocare, & examinare: quòd si necdum debitè respondeat, pœnas & torturas adhibito præfato consilio, & protestatione augere: ac si nec tunc quid efficit, hoc interrogatorium ad torturas majore post datas defensiones adhibendas differre, intereà autem ad alia interrogatoria pergere, cuncta verò, quæ fiunt, per Notarium Actis inferi debent: sic ad casum nostrum.

Post duos dies A. R. P. Provincialis, videlicet Mensis. Anni denuo, & sic tertiò constituit Reum, illumque præstito priùs juramento de dicenda veritate interrogavit, an velit modò parere, ac debitè respondere ad nuperum interrogatorium, videlicet, quid sit illud, ratione cujus timet perpetuos carceres? Resp. Rogo, dignetur mihi A. R. Paternitas legi facere meam responsionem ad hoc interrogatorium nuper datam.

Cum autem ei hoc deferre nollet A. R. P. Provincialis, Dixit Reus: Ergo remitto me ad priora dicta. A. R. P. Provincialis ulteriùs instabat, sæpiusque monuit, & minatus est adhuc graviorem pœnam & torturam, nisi debitè responderet; sed nil effecit, & reo permanente in suo antiquo responso dicendo: Jam respondi, quod dixi, dixi. Hinc eundem iterùm dimisit priùs jussum, ut prælectam hodiernam responsionem subscriberet.

Ego Fr. Mævius confirmo ut suprà.
Ego Fr. N. Assessor.
Ego Fr. N. Assessor.
Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Discedente Reo A. R. P. Provincialis cum duobus Assessoribus consilium inivit, quid cum reo incipiendum esset; & consultatione factâ decrevit, prout præsenti Decreto decernit, reum diutiùs adhuc torquere pane & aquâ, additâ etiam pœnâ NN. Acta sunt hæc Die. loco. quo suprà.

Ego Fr. N. Assessor consului.
Ego Fr. N. Assessor ita suasi.
Ego Fr. N. Minister Provincialis.

Notatur etiam, & Actis inseritur executio pœnæ facta.

Elapsis posteà tribus diebus, Reus iterum vocatus apparuit coram A. R. P. Provinciali, & præmissâ zelosâ exhortatione minis variis mixtâ, præstitoque per reum juramento fuit interrogatus: An necdum timeat Deum, & in sua pertinacia, ac perjuriis responsionibus persistere, an verò sincerâ confessione Deum & Judicem placare, sibique hic & in æternum consulere vellet? Reus verò loco responsi partim lacrimans, partim indignans conquestus est, non Christiani, sed Tyrannicè secum agi, dum jam per 5. dies non nisi panem & aquam gustaverit, & insuper illam gravissimam NN. pœnam sustinere debuerit.

Ad quod A. R. P. Provincialis, esse in sua potestate, quavis hora liberandi se ab his pœnis, dummodò ad interrogatorium propositum debitè respondeat, quidnam scilicet sit illud, ratione cujus timet perpetuos carceres? Resp. Jam respondi, non possum aliter respondere.

Interrogatus, an non propterea timeat perpetuos carceres, quia furando calices, & Monilia B. V. M. gravissimum morte dignum commisit sacrilegium? Resp. Nil minùs, quàm ratione hujus timeo; in hoc enim tam innocens sum, sicut Infans adhuc uberibus matris adhærens.

Interrogat. Quomodò possit negare, cùm fuerit visus furari præfata Monilia & calices? Resp. Nequam & mendax est qui dicit, nec furatum fuisse ipsa, reservo mihi contra illum jura mea.

Interrogat. Qua fronte & præsumptione alios insimulare, & se innocentem dicere audeat? cùm per testes & indicia convictus sit hujus furti? Resp. Fit mihi injuria, innocens enim sum.

Interrogat. Qui dicturus sit, si Testes in faciem ei dicant, quòd hæc furatus sit, & quid, si ille quoque per quem misit præfata furtiva ad puellam Bibianam? Et quid, si ipsamet Bibiana totam rei seriem jam manifestasset, & in faciem exprobrare parata esset? Resp. Omnes mentiuntur. Ego sum innocens.

Tunc A. R. P. Provincialis de novo zelosè adhortatus est eum, ut desisteret à tam mendaci, perjurâ, & malitiosâ simulatione: admonuit eundem miserrimi status, in quem se conficeret, & crederet, quòd per media Reo adversa magis se intricet, quàm extricet, & pœnas non evadat, vel minuat, sed augeat. Fore enim, ut tanquam convictus consequenter graviùs condemnetur, si sponte fateri nolit. Verùm surdo cecinit: Reus enim nil aliud respondit, quàm, sum innocens. Hinc videns A. R. P. Provincialis, se nil efficere, decrevit illum

illum pro nunc dimittere, & opportuno tempore facere, quæ sunt Juris: priùs autem jussus fuit subscribere prælectam sibi depositionem. Acta sunt hæc Die. Mense. Anno. loco.

Ego Fr. Mævius N. confirmo ut suprà.
Ego Fr. N. Assessor.
Ego Fr. N. Assessor.
Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

De Confrontatione Rei cum Testibus.

SUMMARIUM.

438 *Judex potest, sed non tenetur Reum confrontare cum Testibus: Quando expediat?*
439 *Quomodo fieri debeat Confrontatio hæc?*
440 *Forma & praxis confrontandi.*

438 SI Judex nil effecerit suis monitionibus & minis; Reo in suis negativis semper permanente, potest adhiberi Confrontatio Rei cum Testibus: Quamvis hæc Rei Confrontatio cum Testibus non luciè fit adhibenda in Processu Regularium, ubi Testes ordinariè debent manere occulti: Nec Judex Reo in Negativis permanente teneatur confrontare ipsum cum Testibus, etiamsi id Reus petat, sed sit in arbitrio ejus; tamen si inde sperat effectum, adhibere eam potest etiam Judex Regularis præsertim in casu, quo Testis nil habet timere à Reo, simulque promptus est ad illam &c.

439 Ut autem debitè fiat, debet fieri antequàm Reo detur copia Actorum; quia est pars examinis non rigorosi, ante quod completum, Reo non dantur defensiones. Item debet Judex priùs de illa adhibenda facere Decretum; dein vocare adhuc semel Reum, & illum interrogare, an in suis negativis persistat, posteà mandare, ut introducantur Testes (& quidem unus post alium, si plures sint confrontandi) introductus ponatur contra faciem Rei, & in illius prospectu deponat juramentum de dicenda veritate: quo præstito Reus & Testis unus post alium interrogentur, an noscant invicem? posteà examinatur Reus &c. Omnia patebunt in casu nostro.

440 *Cùm A. R. P. Provincialis videret, se monitionibus suis nihil efficere, sed Reum in negativa circa principalem Articulum, de furto calicum & Monilium pertinaciter permanere, perjuriæ, & Dei offensam multiplicare, decrevit, prout præsenti Decreto decernit, confrontare Reum cum Teste Fr. Justo; qui ex proprio visu, & auditu deposuit de furto præfato, præsertim quia hic omnino paratus est ad eam, Reus verò eam timere videatur.*

Consequenter denuo vocavit, & coram se constituit Reum, eumque præmissâ adhortatione convenienti, imposito & per Reum præstito juramento interrogavit, ut sequitur.

1. Interrogat. An necdum confiteri velit, quòd ipse furatus sit calices & Monilia? Resp. Non possum fateri; quia non possum mentiri.

2. Interrogat. Quomodò possit negare, cum fuerit in flagranti deprehensus? Resp. Fit mihi injuria.

3. Interrogat. Qua fronte negavit, si Testes omni exceptione majores in faciem ejus id testentur? Resp. Bonâ conscientiâ non poterunt dicere.

Videns itaque A. R. P. Provincialis se nil efficere, vocavit inprimis Fr. Justum N. suprà jam examinatum, qui monitus & juravit jussus, præstito juramento contra faciem ei positus deposuit, ut sequitur.

Interrogat. An noscat sibi astantem, & sciat quomodò vocetur? Resp. Utique nosco, est Fr. Mævius.

Interrogat. In causa scientiæ? Resp. Quia jam per duos annos simul sumus de Familia.

Tunc A. R. F. Provincialis conversus ad Reum interrogavit ipsum, an noscat hunc coram se stantem virum? Resp. Optimè nosco.

Casus quo Reus negaret, se noscere, non impedit, quin pergere possit Judex, si manifestum est, quòd illum noscat.

Postquàm Reus & Testes, se invicem noscere fassi sunt, A. R. P. Provincialis rursus ad Testem.

Interrog. An hic coram se existens sit ille ipse, de quo nuper in examine juratò deposuit. Resp. Is ipse est.

Interrog. An in illo examine veridicè deposuerit? Resp. Utique, est enim gravissima res.

Interrog. An recordetur, quòd nuper deposuerit Fr. Mævium furatum esse calicem & Monilia, & quidem his formalibus: Prælegi testi formalia depositionis suæ nuper factæ ad interrogatorium 3. super Articulo 8. Quo percepto, Resp. Omnino recordor.

Interrog. An vera sint ipsa, quæ deposuit Reverentia vestra? Resp. Verissima sunt, & sicut nuper jam sub juramento, sic etiam modo juratò affirmo, & desuper mori volo.

Tunc A. R. P. Provincialis ad Reum conversus interrogavit eum: Quid modo ipse dicit?

Notandum, quòd durante Confrontatione Actuarius cuncta notare, & scribere debeat, responsiones Rei, replicationes Testis, verba, motus, gestus, & alia ad rem tacientia accidentia tam Rei, quàm Testis, sicut in casu nostro.

Resp. Reus, Mentitur, & gravissimè mihi detrahit.

Fr. Justus N. verò, Clarissime Fr. Mævi putatne, me deliberatè velle committere gravissimum peccatum mortale, dicendo talia de ipso, si non scirem.

Fr. Mævius, si nunquam peccavit graviter, modò peccavit, tam graviter mentiendo.

Fr. Justus N. Amore Dei, quomodò potest negare? Nonne ipsum deprehendi, dum in cella volebat involvere & mittere ad Bibianam? Nonne statim flexis genibus me rogavit, ne ipsum manifestarem? Nonne ipsum sui adhortatus, ut à lurida & tepida sua vita aliquando desisteret, & ablata in secreto statim iterum restitueret? Ipse verò omnia facturum se promisit; dummodò non manifestaretur.

Hæc dum Fr. Justus N. serenâ mente, cordatè, & sine mutatione coloris aut vultûs diceret, Fr. Mævius mutato subinde colore vultûs Fr. Justum N. aspicere non audebat, sed in terram, vel ad latus respiciens, dicebat, sunt mera mendacia, sunt mera mendacia, loquitur ex odio & passione.

Fr. Justus N. Quomodò ex odio? tamen per totum annum nec verbo, nec facto offendimus invicem; imò speciali charitate & condolentiâ semper prosecutus sum eundem.

Fr. Mævius: Quidquid sit: modò mentitur.

Tunc A. R. P. Provincialis: Miserrime Mortalium, quo usque malitia sua eum deducit, ut non expavescat, continuis & gravissimis perjuriorum peccatis mortalibus offendere præsentem Deum, qui in ictu oculi potest ipsum perdere in gehennam. Resipiscat aliquando, & det gloriam Deo, fateatur humillimè suam culpam: Ecce vultus & omnia ipsum produnt: Ecce non audet aspicere aliquem.

Fr. Mævius verò solùm dicebat: Sum innocens.

Fr. Justus N. econtrà, quæ dixi, verissima esse, jurato repeto, Deumque judicem justum denuo in Testem invoco, & desuper mori volo.

Fr. Mævius, & ego mori volo. Cùm itaque uterque in suo dicto persisteret, & A. R. P. Provincialis cum reo etiam hoc medio nil effici cerneret, ambos dimittere, & ulteriùs, prout juris progredi decrevit, dato priùs ambobus mandato, ut depositionibus sibi